

DIPLOMA
M A R C H I O N A L E

Diploma 6 gennajo 1638 della Duchessa Maria madre e tutrice di Carlo II,
duca di Mantova, con cui la Famiglia Cavriani venne innalzata al rango
Marchionale colla porzione del Feudo di Colcavagno in Monferrato.

Maria etc. — Inter huiusee Urbis familias, natalium splendore ac antiquitate illustres, morum probitate cæterarumque animi dotium conspicuas, non vulgarem elegantiam Caprianam præseferre non est absconditum: ex hac enim, continuis temporibus, et domi et foris, viri integri prudentia vitæ, modestia, ac singularium virtutum candore prodiere, qui Ser.^{mis} Mantuae ac Montisferrati Ducibus et Marchionibus in diversis non solum præcipuis muneribus dignitatibusque intimi Consiliarii nempe, Commensalis, Stabuli, Aucupiorum Præfecti, Mag. Præsidis, Arcis Casalis Gubernatoris, bellorum maxime cum Sabaudo tunc gliscentibus rumoribus, ac ad potentissimos Reges nonnullis legationibus inserviere; verum etiam a summis Romanorum Imperatoribus, ob eorum eximiam fidem pluribus honoribus insigniri, ut permulta testantur monumenta, promeruere. Illustrissimus itaque Franciscus Caprianus, sacri ordinis Redemptoris Eques, avitæ gloriae non invidus, ac Maximiliani Equitis filius, cum tantæ familiæ, ejus honestis servitiis, Cubicularii scilicet Sere.^{rnm} Ducum Ferdinandi, Vincentii II, ac Caroli I nuperrime defuneti, Italorumque militum ejusdem Cels.^{nis} custodiæ Capitanei, ac novissime Ducis Caroli, filii N.^{ri}, Gubernatoris, præter diversas ad primarios Italiae Principes Legationes, integra prædicti D. Ducis approbatione expletas, optime meritum descendenter se præbuerit, ut nihilo ejus præcessoribus inferiorem habendum esse iudicemus, supradictis aliisque permultis nominibus eum jure dignum existimamus, quod nonnullis gratiis ac favoribus laudabilium esse actionum, non vulgarisque servitii testimonium amplectamur. Cum igitur a sæpedicto D.^{no} Duce Carolo I, eidem III.^{mo} Equiti Franciseo Capriano portiones Feudi Colevagni Cameræ Montisferrati, ob mortem Jo. Angeli Mazolæ, ipsius Feudi ultimi possessoris, obventæ, dono datae fuerint, attentaque ipsius Cel.^{nis} intentione erigendi dictum Feudum in verum Marchionatum, ac declaratione Marchionis in personam dicti Equitis Francisci facta, Nos eundem Caprianum ad Marchionatus dignitatem extollendum grato ac liberalissimo animo movemur. Quapropter hoc Decreto, pro arbitrio et absoluta potestate, quibus in utroque Mantuae ac Montisferrati Ducatu, tutorio nomine, pubblicè fungimur, scientes, volentes, ultiro consultoque, in nomine Sanctissimæ et Individuæ Trinitatis, Feudum, vel prædictas portiones Feudi Colevagni, cum eius iurisdictione, ac aliis ad supradictum feudum legitime spectantibus, juxta tamen præcedentium investiturarum formam, in verum Marchionatum, qui Colevagni Marchionatus nuncupetur, sic erigimus, extollimus et sublimamus, eundemque Equitem Franciscum, eiusque filios et descendentes masculos legitimos, et naturales, primogenitos, ac primogenitorum primogenitos, in infinitum, ordine primogenituræ semper servato, Marchiones creamus, ac Marchionatus titulo, et ornamentis decoramus et insignimus, adeo ut deinceps in perpetuum ipse, qui que feudum, seu prædictas feudi portiones habebunt, et legitime possidebunt, ordine primogenituræ et forma præcedentium investiturarum semper servatis, hac dignitate fulti, inter cæteros Marchiones locum ubique habeant congruum et convenientem, Marchionesque Colevagni sint, appellantur, nominentur, dicantur, ac uti veri Marchiones reputentur et tractentur et honorentur, Marchionatusque dignitate,

insigniis, ornamentiis, gratiis, præminentius et honoribus utantur, fruantur, et gaudeant utique frui, potiri et gaudere possint, quibus alii Marchiones ubique locorum utuntur, fruuntur et gaudent, ac uti, frui, potiri et gaudere possunt, consuetudine vel de iure, superioritate tamen et alto dominio aliis omnibus et quibuscumque juribus, Ducis Caroli II, filii nostri, ad formam præcedentium investiturarum semper salvis. Hac tamen lege, quod idem Marchio Franciscus eiusque filii, et legitimi successores in investitura concedenda vocati, quique Feudum, seu prædictas Feudi portiones pro tempore obtinebunt, prædictum Ducem Carolum filium nostrum, eiusque successores Montisferrali Duces recognoscent debitumque intra tempus a lege statutum fidelitatis juramentum præstent, et investituram suscipiant, ac alia, ad quæ tenentur, adimpleant. Hoc demum nostrum erectionis, concessionis et sublimationis Decretum, quo omnibus obstantibus derogatum fore, et esse volumus, etiam si talia forent de quibus hic mentionem facere oporteret, nemo audeat diminuere, aut infringere, sed omnes cuiuscumque status illud præstent, et diligenter præstandum eurent, sub indignationis nostræ poena, ac centum Marcarum auri puri, quas ab eo, qui contravenire præsumserit, irremissibiliter exigi volumus, earumque dimidiam fisco Montesferrati, residuum vero injuriam passorum usibus applicari decernimus. In quorum fidem, viu et robur præsens hoc nostrum Decretum manu nostra subscriptum dari et excibi, nostrique majoris sigilli appensione muniri mandavimus. Datum Mantuae die 9 Januarii 1638.

MARIA

V.t ARRIVABENUS

V.t CHIEPIUS.

Julius Farnasinus Cancellarius, mandante Serenissima Principe Matre et Tetrice Serenissimi D. Ducis Caroli II, relatione D. Comiti Alexandri Striggii ejusdem Celsit. a Seer.^{is} Status, et Cub.^{li} subscrispit.

STRIGGIUS.

N.B. L'originale si legge in un registro delle Ducali che si conserva nell'I. R. Archivio Governativo Giudiziario, segnato F. II, N.^o 10, pag. 294, I.^o An. 1628 al 1638.